



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Speculum Non Fallax

Segneri, Paolo  
Pinamonti, Giovanni Pietro

Coloniæ, 1706

**VD18 12375713-001**

Peccata præsentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50799](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50799)



## PUNCTUM II.

*Peccata presentia.*

II. Considera præterea, non esse opus recurrere ad peccata præterita, pro humiliationis materia; sufficienti abunde præsentia; si enim præsentem animæ tuæ statum attentè inspiceres, arbitraberis, te videre Jobum in simeto confidentem, taboque & sanie ex omnibus corporis membris manantem: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, vulnus, & livor, & plaga tumens, Isa. 1. 6.* Omnes animæ potentia, atque omnes tui sensus scatent imperfectionibus, & putredine, ob immensum numerum defectuum, qui inde fluunt, faciuntque, ut sis velut spirans cadaver, & inter tenues vitæ reliquias à vermibus exesum. *Tanta est malitia tua dicebat B. Catharina Genuensis, ut nisi Deus faciem suam ab illa averteret,*



54      *Speculum non fallax.*

*non posset tibi unquam ampliùs benefacere; est enim tam enormis, ut nec credi, nec verbis exprimi possit ab iis, qui eam non vident. Aliâ vice, cùm huic ipsi sanctæ Virgini monstraretur abominatio minimi alicujus actûs, contra Dei voluntatem admissi, clamabat, se morituram præ horrore, & nisi citò cessaret hæc visio, disruptum iri corpus suum, etsi adamante solidius foret. Quantus non autem similium in te culparum est numerus? quàm incertus verò earum est numerus, tam incerta etiam est earum gravitas: delicta quis intelligit? Psalm. 18 13. Et tamen ab omnibus vis haberi & æstimari, velut bonus, non aliter ac argentum vivum, quod, licet sit gravius omnibus metallis, evolare tamen nititur super omnia: abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem Job. 15. 16. Viden expressam ad vivum tui imaginem! inutilis es, quia nihil es ex natura; abominabilis es ob peccata præterita,*  
&



& quia de presenti non devoras solum, sed & bibis iniquitatem, ac peccare pergis sine freno aut respectu; & tamen adhuc te extollis!

## PUNCTUM III.

### *Peccata possibilia.*

III. Considera, te esse gravissimum peccatorem, non solum ob peccata praterita, & presentia, sed etiam ob possibilia; in quæ rueres, nisi te Deus ab illis servaret: *Gratia tua deputo, quæcumque non feci mala, passus est demissè S. Augustinus l. 2. Conf. c. 7.* Omnia peccata, quæ non facimus, sunt beneficium divinæ gratiæ, & fructus sanguinis JESU Christi, quia omnis planè homo, ex natura sua corrupta, & innato suo nihilo habet abunde in se, quidquid necesse est ad patranda atrocissima quævis delicta: & sicut in bono tam debilis es, ut tuis solum viribus ne unum